

His præmissis consequens esse videtur, ut ad modos sive titulos constituendi dominium progrediamur. Sunt enim Domini constituendi (a) tituli varii: veluti, Emptio. venditio (b) æstimatio (c) permutatio (d) mutuum (e) solutio (f) donatio (g) legatum (h) dos (i) stipulatio (k) pactio (l) investitura feudi (m) sed an etiam per sententiam? quæstionis est nodosæ. Quod alii in pignore adjudicatio simpliciter; (n) nos ad minimum in genere quoad præsumptionem dominii affirmamus. (o)

(a) Causæ constituendi dominii diligenter nobis expendendæ sunt: Ut enim obligatio nulla contrahitur, nisi eam causa justa prædat, ex quâ constet id actum inter contrahentes, ut alter alteri obligetur, *l. obligationum 3. l. in omnibus 55. ff. de Obl. & act.* Ita neq; absq; justâ traditionis causâ dominium transfertur. Ex hoc enim colligitur, dominum rem suam in alium transferre voluisse. Quod autem hæ sint causæ, probat *l. 1. & seqq. ff. de publiciana in rem actione, & textus in l. nunquam nuda 31. ff. de acquir. rer. dom. l. pro soluto 46. ff. de usucap.*

(b) Quamvis per Emptionem res non fiat mea sine traditione *l. 20. C. de pactis. nec qui vendit eam cogatur facere meam, l. si ita 25. §. qui vendidit 1. ff. de contrab. emptione.* semper tamen in emptione hoc agitur, ut res fiat mea & venditor obligetur ad transferendum rei dominium, *Heigius ad rubr. Inst. de empt. & vend. ex VVesenb.*

(c) *l. quoties 5. C. de jure dotium, l. plerumq; 10. §. 5. ibi: quia æstimatio venditio est, ff. eod.* Hinc is, cui res dotis nomine æstimatô tradita est, habet potestatem eam vicissim alienandi *l. quod si 11. ff. de fundo dotali.*

(d) Esse titulum translaticivum, *arg. l. 1. in fin. cum l. seqq. ff. de rer. permut. VVesenb. consil. 186. n. 14. docet.*

(e) *Gail. lib. 2. obs 12. n. 1. seq. per textum in l. 2. §. appellata 2. ff. de rebus creditis* ubi mutuum dicitur, quod de meo tuum fiat, quod verbum, ut & tuum, suum, nostrum, ad jus dominii pertinet. Notamus tamèn cum Excellentissimo *Dn. D. Suevo Antecessore hujus Academiae desideratissimo ex Vultej. 1. de feud. 6. 7. n. 1. & 2. in Exercitationum feudalium sexta & quidem asser-
tione*

al. VZ